

venit, non sit formaliter assimilatrix; ideo processio illa nequit dici generatio. Idem egregie patefacit ipse Angelicus Doctor lib. 4. contra Gent. cap. 23. dicens, si duplici modo posset homo producere hominem, scilicet per generationem, & modo artificiali ex propria carne; ille diceretur filius, non iste, licet uterque esset similis in substantia, idque per solum diversum procedendi modum, ut patet in Eva, quæ non dicitur filia Adæ, sicut Abel, licet utriusque substantia ab eo deprompta fuerit: igitur etsi Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat in unitate naturæ, non tamen dicendus est Filius. Quibus satis suadetur proposita thesis: nec aliud à Theologis in hujusmodi questionibus tentandum est. Ut enim sapienter inquit doctissimus Canus lib. 11. de Locis cap. ultimo prope finem: „Sunt nonnulla adeo implicata, & obscura, ut „prudentiæ Theologicæ sit non ea demonstrare velle, „sed suadere: non patentius illustrare, sed utcumque „expedire.

## PRÆLECTIO XXII.

### De Ecclesia Catholica,

ad expositionem cap. 10. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 1. ad quartum.

**N**on immerito Dei Ecclesiam vocat Apostolus (a) columnam, & firmamentum veritatis, cum semper immobilis, ac firma subsistat, dum cæteræ sæpe sectæ

(a) Apost. 1. ad Timoth. 3.

circumferuntur omni vento doctrinæ, quin unquam in eodem statu permaneant. *Tanta enim divinitus soliditate munita est Christi sponsa (verbis utor Magni Leonis) (a), ut eam neque heretica unquam corrumpere pravitas; neque pagana potuerit superare perfidia.* Hanc igitur veritatem credendam proposuerunt Apostoli nonno articulo Symboli, ac explicat Catechismus Concilii Tridentini prima parte cap. 10. Cujus quatuor priores paragraphos hodierno sole discutiam, pugnaturus pro domo Domini, si Dominus ipse mihi vires desuper largiatur, Pater &c. Adstet etiam à dextris meis Regina Cœli purissima Deigenitrix Virgo Maria, quæ sola cunctas hæreses interemit. Adsint quoque duo illi fortissimi Ecclesiæ pugiles Augustinus, & Thomas, iisque jungantur S. N. meus Angelus tutelaris, & reliqui omnes milites cœlestis exercitus, quorum juvamine fretus dicere incipiam, si mihi prius &c. 1. 2. Superno auxilio tutus, ac vestra benignitate refectus (consessores amplissimi) meam orationem exordiar, quam in tres partes, claritatis gratia, scindam. Prima litteram textus velut in tabella describam. Secunda ipsam fusius extendam, explicabo, discutiam. Tertia denique conclusionem proponam, probabo, defendam. Utinam feliciter! Manum igitur, ut dicunt, ad opus, pro prima orationis parte, inquam, sic inchoare litteram textus §. 1.: *Quanta diligentia &c.* Ita vero finire §. 4. *Ut populus Dei esset, elegit.* Primo paragrapho docet Catechismus necessitatem explanationis præsentis articuli, Ecclesiæ nempe Catholicæ, tum ut sciant fideles differentiam veræ Religionis à falsa, tum ut hæresim summopere detestentur. Propterea §. 2. Ecclesiæ nomen declarat, dicens, ex vi græci sermonis evocationem significare; communiter autem ab Scriptoribus usurpari pro concilio, & concione, tametsi pro-

(a) S. Leo Serm. 2. in anniv. & in Breviar. die 11. Aprilis.

proprius pro Christiana republica, ac omnium fidelium coetu accipitur. §. 3. varia mysteria patefacit sub Ecclesiæ nomine comprehensa, nempe benignitatem Domini, qui nos evocavit ab errorum tenebris ad lucem Evangelii, & ab erraticis ovibus ad gregem suum elegit; discrimen insuper quod habet Ecclesia Christi ab aliis rebus publicis humano arbitrio constitutis, & ab ipsa Judæorum Synagoga, quamvis olim fuerit divinitus adunata. Quod apposite comprobatur pulchra D. Augustini sententia. §. 4. multis nominibus mysteriorum plenis insignitur Ecclesia. Dicitur enim domus Dei, grex, sponsa, & corpus Christi; quæ omnia ab Scriptura deprompta sunt. En Catechismi textum breviter delineatum, & primam orationis partem.

3 Veniamus ergo ad aliam, ubi enucleanda est littera prælibata, quæ licet admodum clara, Deo dante, clarius illustrabitur. Quantum ad primum paragraphum optime, more solito, advertit Catechismus diligentiam à Parochis adhibendam in explicatione hujus articuli, qui duabus veluti partibus constat, Ecclesia nempe Catholica, & Sanctorum communione. De prima solum nunc agimus cum Catechismo, de qua teste D. Augustino (a), planius, & apertius quam de ipso Christo loquuti sunt Prophetæ, quoniam plures præviderunt erratos circa Ecclesiam Christi, quam circa incarnationem Verbi; nedum quia errores omnes circa quodcumque mysterium, etiam contra ipsam Ecclesiam diriguntur, cum hæresis sit error pertinax adversus ea, quæ Christi Ecclesia credere præcipit; sed præsertim quia specialiter ad debellandam Ecclesiam portæ inferi semper aperta fuisse videntur, etsi Christus promiserit nunquam foret, ut adversus illam prævaleant. Prius enim exierunt Pseudoprophetæ in spiri-

(a) August. enarrat in Psalm. 30. apud Natal. hic §. 2. n. 5. in fine.

tu mendacii, ut ad instar antiqui serpentis sponsum Christi seducerent; sed cito evanuerunt in cogitationibus suis.

4 Proderunt postea alii, si dici potest, pejores prioribus, qui, ut ait Catechismus, ad simiæ imitationem, quæ se hominem esse fingit, solos se Catholicos esse profitebantur, & Catholicam Ecclesiam apud se tantum non minus nefarie, quam superbe affirmabant, ut Donatistæ, Luciferiani, Pelagiani, Novatiani, alique veteres apud Optatum Milevitanum, Hieronymum, Augustinum, & alios Ecclesiæ Patres; qui eorum arrogantiam confregerunt. Sed non fuerunt ista satis. Diabolus enim, cujus malitia ascendit semper, posterioribus sæculis excitavit Waldenses, Hussitas, Lutheranos, Calvinistas, & similes alios, ut sub falso reformatorum titulo Ecclesiam Christi diruerent, & super ejus ruinas suam conderent Babyloniam. Sed in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nam sicut ædificatores turris Babel fuerunt linguarum confusione delusi, sic etiam Novatores; adeo ut res foret digna risu, nisi tantorum damnatione deplorabilis redderetur. Ex sola Lutheri secta statim plurimæ ortæ sunt. Quatuor & triginta numeravit Fridericus Staphylus; plusquam centum fuisse testatur Florimundus Remondus lib. 2. de ortu hæreseon.

5 Ut autem clarius pateat quousque pervenerit Novatorum innovandi libido, adducere libet lepidulam historiam quam ex Joanne Barclaio, & Wolfango Jagero refert eruditissimus Feijoonius tom. 5. epist. 3. num. 28. & 29. In quadam familia Anglicana convenerunt in unum pater ac duo filii, ut Ecclesiam ad placitum efformarent; sicque statuerunt ritus, decreverunt dogmata; uno verbo, quidquid credendum, & observandum putabant, adamussim proposuerunt. At unio ista parum duravit; obortas enim nonnullas difficultates, aliter pater, aliter filii volebant dirimere. Quare pater à

filiis anathematis fulmine ictus; sive, ut illi iugabantur, à *communione Sanctorum* ejectus est. Post breve tempus, supervenientibus aliis questionibus, fratres se invicem segregarunt. Tanta est discordia fratrum reformatorum, ut nedum dissentiat unus ab alio, sed à seipso sæpissime.

6. Quid enim aliud sunt illæ variationes quas refert Illustrissimus Bossuetus, nisi ludi puerorum domus luteas constructium, ac destruentium? Unde Fridericus Saxoniz Dux interrogatus, quid sui crederent Lutherani? Respondisse fertur: *quid nunc credant scio, quid anno sequenti, nescio.* Verius quidem dicerent ipsi hæretici cum Catone: *cras omnia, hodie nihil credo.* Sed quid mirum? De illis enim loquitur Beatus Judas Apost. in sua epist. v. 12. & 13. hisce verbis: „Hi „sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, „semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis „circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, „bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus pro „cella tenebrarum servata est in æternum.“ Quæ licet cunctis hæreticis optime quadrent, ut sapienter asserit in hunc locum Doc. Angelicus Divus Thomas, maxime tamen Lutheranis, & Calvinistis, ut experientia notum est. En si superis placet, novos Ecclesiz reformatores. Quam latum præbet hæc materia campum ad instructionem fidelium! Hinc dignosci potest abominabile vitium hæresis; & pretiosissimum depositum fidei, quod solum in Ecclesia Catholica custoditur cum ab Spiritu Sancto regatur; ideoque recte ait Catechismus, hunc articulum à superiori pendere.

7. Sed prosequamur litteram textus ubi §. 2. *Ecclesie* nomen exponitur, quod à græco verbo deductum latine significat evocationem; quia tamen, ut non semel asserit Div. Thomas, aliud est id à quo nomen imponitur, & aliud id ad quod significandum ordinatur; ideo

ideo hæc vox *Ecclesia* licet juxta nominis etymologiam evocationi respondeat, communiter ab scriptoribus usurpatur pro concilio, & concione, sive fidelium, sive infidelium; nam Psalm. 25. vers. 5. dicitur Deum odire Ecclesiam malignantium, & Act. 19. populus Ephesinus fabulosæ Dianæ cultor, à quodam Scriba vocatum Ecclesie nomine; ac similiter singuli coetus in quibus Deus legitime colebatur, dicuntur ab Apostolo Ecclesia Corinthi, Galatiæ, Leodicensium &c. ut infra §. 10. advertitur à Catechismo. Præsules quoque, & Pastores, eadem voce intelliguntur, ac etiam templa in quibus adunantur fideles ad fundendas Deo preces, vulgo dicuntur Ecclesia. At, missis his, aliisque hujus nominis acceptionibus (a), juxta communionem sacrarum Scripturarum consuetudinem, vox ista *Ecclesia* usurpatur pro Republica Christiana, & congregatione cunctorum fidelium, qui veram religionem profitentur. Unde ab Augustino in textu citato definitur Ecclesia: *Populus fidelis per universum orbem dispersus.* Dicitur *populus*, id est, multitudo hominum ordinata. Dicitur *fidelis*, id est, credentium veritates à Christo Domino revelatas. Dicitur denique *per universum orbem dispersus*, quia ut ait alibi Augustinus, à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur; quocirca etiam vocatur Catholica, ut §. 16. hujus capituli explicat. Catechismus.

8. Hic tamen advertere oportet, quod nos modo loqui de Ecclesia Militanti, quæ sola est viatorum, atque credentium; non vero de Triumphanti, in qua Beati sine fide, æterna gloria potiuntur. Loquimur etiam de Ecclesia in præsentis statu, cujus janua est Baptismus, non autem de illa quæ ab exordio mundi ad Christum usque aliis ritibus viguit. Quare sciendum est

Qq 2 in

(a) Vide varias Patrum definitiones apud Natalem hic cap. 10. §. 1. num. 2. Tournellium tom. 2. quest. 1. arti. 2. pag. 5. & plures alios.

in Adamo & Eva jam incepisse Ecclesiam; non in Adamo tantum, cum plures ad hoc requirantur, ut recte ait Illustrissimus Canus lib. 4. de locis. Nec obstat aliquos dicere incepisse ab Abele, per hoc enim solum intelligunt in eo incepisse Ecclesiam expressius declarari, quia clarius patuit Abelis iustitia, qua semper coram Deo ambulavit; ejus religio, qua primus sacrificium legitur obrulisse; & ut alia mittam, in Abele incepit videri prima Ecclesiae persecutio, & separatio ab Ecclesia malignantium. Itaque ab Adamo & Eva usque ad diluvium, licet omnis caro corruerit viam suam, non defuerunt fideles; talis fuit Nohemus, ejusque familia, qui in arca inclusi, & sibi, & posteris vitam servarunt. Similiter à Nohemo usque ad Abrahamum, etsi major pars hominum à vero Dei cultu recesserit, aliquos tamen sibi reservavit Altissimus, quorum notior est Abrahamus, ex cujus semine nasci voluit Christus Dominus; sicque toto illo tempore populus judaicus Ecclesiam constituēbat, seu potius Synagogam.

9 Differunt enim Ecclesia, & Synagoga, quia Ecclesia, ut supra diximus, convocationem significat, quae est hominum propria; Synagoga vero congregationem, quae nedum hominibus, sed etiam pecoribus convenit; ideoque Div. Hieronymus commentario in cap. 5. Proverbiorum, apposite inquit: „Ecclesia, & „Synagoga graeca nomina sunt, & unam, eandemque rem latine significant, id est, conventum plurimum ad invicem. Si autem subtilius distinguantur, „Ecclesia convocatio, & Synagoga congregatio interpretatur, & vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur; nunc autem gratia distinctionis, ille „Synagoga, noster Ecclesia dicitur, merito scilicet „fidei, & scientiae majoris: quia & irrationabilis creatura potest congregari.“ Similiter loquitur Augustinus tum super Psalm. 77. & 81. ut asserit Catechismus

smus, tum super Epistolam ad Roman. his verbis: „Ecclesia ex vocatione appellatur, Synagoga vero ex „congregatione. Convocari enim hominibus magis congruit, congregari autem magis de pecoribus dici solet: „unde greges proprie pecorum dici solent. Quamvis „ergo plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex „Dei, & ovile Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum „in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam „veterem pertinet: hujusmodi homines non sempiternae „veritatis, sed temporalium promissionum tanquam „terreno pabulo esse contentos: Paulus ergo vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei: unde, „nisi ex grege Synagoga?”

10 Ex Ecclesiae vocabulo hactenus explicato, non levia mysteria capere possumus. In eo enim elucet benignitas Domini, qui nos eduxit à tenebris in admirabile lumen suum, & ab erraticis ovibus expositis luporum dentibus, ad tutum ovile vocavit duplici vocatione, interna scilicet, ac externa. Prima: per interiorē Spiritus Sancti afflatum. Secunda: per ministerium Praedicatorum, atque Pastorum. Apparet etiam sapientia, potentia, & providentia ipsius Dei, qui dum Ecclesiam fundare voluit, infirma mundi elegit, ut confunderet fortia. Dignoscitur quoque discrimen, quod est inter Ecclesiam, & alias respublicas humana ratione, atque prudentia constitutas, & ab illa Judaeorum Synagoga; tametsi divinitus adunata. Illi enim, teste Apostolo, erant filii ancillae, nos filii liberae; illi, teste Div. Thoma 1. 2. quaest. 99. art. 6. reputabantur tanquam parvuli, nos velut adulti; illi tanquam pecora congregati, cauterio circumcisionis notati, & crassiori pabulo alti leguntur; nos vero tanquam rationis compotes convocamur, spirituali characterē insignimur, & aeternis bonis ardentius inhiamus. Quare merito in Catechismo Christianus populus non Synagoga, sed Ecclesia dicitur, quia terrenis, & mortalibus rebus

contemtis, cœlestes, & æternas tantummodo consecratur.

11 Quarto, & ultimo paragrapho ex designatis transit Catechismus ad explicanda præcipua nomina plena mysteriis, quæ in sacris litteris tribuuntur Ecclesiæ, A Paulo enim dicitur domus Dei; à Matthæo ædificium Domini; à Joanne grex ovium Christi, quæ si modica videntur, addit Apostolus Ecclesiam esse Christi sponsam; imo ejus corpus eam appellat 2. ad Corinth. 11. inquit: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo; & ad Ephesios 5. v. 25. Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et infra de matrimonio loquens vers. 32.: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quod Oseas cap. 2. vers. 19. jam prophetaverat dicens: *Et sponsabo te mihi in sempiternum.* Dicitur etiam corpus Christi, ad Ephesios 1. vers. 22. his verbis: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Idem tenet ad Colossenses 1. vers. 18. & alibi. Intelligitur autem corpus mysticum quatenus arcana vi gratiæ formatum est, non naturali, substantiali, & necessaria membrorum conjunctione; sed non eo sensu corpus mysticum dicitur, quo mysticum opponitur vero, propriæque dicto corpori, ut recte probat Natalis Alexander, in præsentî capite Catechismi.

12 Quoniam idem Apostolus 1. ad Corinth. cap. & versu 12. ait: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus.* Quæ verba exponens Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 31. sic loquitur: „ Non dixit, ita & Christi, id est, corpus Christi, sed ita & Christus; unum Christum appellans caput, & corpus. Quod quidem „ incredibile videri non debet: si enim Divina substantia longe distantior, atque incomparabili diversitate „ sublimior, potuit propter nos ita suscipere huma-

„ nam

„ nam substantiam, ut una persona fieret; quanto credibilis alii homines sancti, & fideles ejus, fiunt cum „ homine Christo unus Christus.“ Hocque principium centies repetit Sanctus Doctor, præsertim in enarrationibus in Psalmos: „ Tota Christus caput, & corpus „ est; caput, & membra unus Christus; caput in Cœlo „ lo erat, & dicebat: *Saule, quid me persequeris?* „ Nos cum illo in Cœlo per spem, ipse nobiscum in terra per caritatem.“ Curemus ergo ita Christo incorporari, ut ipse nobis semper incorporetur. Quia licet per peccatum non desinamus esse membra tanti, & tam sacri corporis, tamen, quantum in nobis est, ipsum turpiter deformamus, & per mortem, (quod Deus avertat) ab eo separabimur in æternum, sicut lignum aridum ab arbore scinditur, & in ignem mittitur comburendum.

13 Hinc sequitur, Ecclesiam Christi esse visibilem, & bonos, malosque complexi, si fidem habent, & communicati non sint. Quod late probant Auctores, ut Turrecremata in summa lib. 1. cap. 44. & deinceps, Canus lib. 4. de Locis, maxime cap. 3. Cardinalis Hosius, Franciscus Sonnius, alique complures. Sed cum de hoc specialiter agatur infra §. 7. & 8.; ideo nunc tantum defendendum suscipio, Catechumenos esse quodammodo in Ecclesia: intelligendo per Ecclesiam non solum regeneratos fonte Baptismi, sed & alios qui fidem Catholicam profitentur, quomodo Dei populus, sive in lege naturæ, sive in lege scripta Ecclesiam constituerebat, ut diximus supra, & assertit Div. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. Certum enim est illos non pertinere ad Ecclesiam primo modo cum careant baptismatis characterem, bene vero secundo, si Christi fidem corde jam credant, & Sacramentum regenerationis exoptent, ut statim probabitur tertia orationis parte, hæc enim jam satis sunt pro secunda.

14 Ad tertiam igitur partem perveniens, hanc conclusionem disputationi appono: *Catechumeni satis fide*

in-

*instructi, & vere desiderantes Baptismum, pertinent ad Christi Ecclesiam, multisque privilegiis gaudent.* Antè cujus probationem advertere placet cum Illustratore Ferraris tomo ultimo Bibliothecæ, verbo *Sepultura*, in appendice pag. mihi 75. tres olim fuisse Catechumenorum classes, licet duas tantum recenseat Menardus in notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii. Prima audientium, secunda genuflectentium, tertia competentium, seu electorum. In prima constituebantur illi, qui privata instructione exacta, publice in Ecclesia instruebantur per Episcopum. Ad secundam spectabant qui participes, consortesque fiebant orationum, & exorcismorum. In tertia collocabantur idonei jam ad Baptismum, ut recenserentur inter proxime baptizandos. Pro quo videri possunt, Josephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus lib. 2. Van-Espen J. E. U. part. 2. tit. 2. cap. 3. Tournély de Sacram. Baptismi quæst. 3. art. 3. Juenin Comment. historic. & dogmat. de Sacram. dissert. 2. de Baptism. cap. 2. art. 1. Ducangii Gloss. tom. 1. pag. 887. &c. Tametsi alii viri eruditissimi eandem, non sequantur partitionem, ut Martene lib. 1. de antiquit. Christian. Rit. cap. 1. art. 6. Berti lib. 31. de Theolog. disciplinis cap. 20. & eruditus Selvagijs de antiquit. Eccles. tom. 1. lib. 2. cap. 17. §. 4. pag. 394.

15. Quidquid tamen sit de Catechumenorum ordine, nobis lubet eos distinguere in illos, qui sua culpa differunt baptizari, ut cupiditatibus serviant, in illos qui nondum sunt perfecte instructi dogmatibus necessariis necessitate medijs, & in illos quibus nihil deest ut baptizentur, sed data oportunitate baptizari cupiunt. Priores duos ordines dicimus ad Ecclesiam non pertinere, sed solum posteriorem: unde si moriantur, salvi fiunt baptismo flaminis, sepultura Ecclesiastica gaudent, & fidelium sacrificiis, ut constat expresse cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, ubi Innocent. III. ab  
Epis-

Episcopo Cremnensi consultus respondit: *Sopitis quæstionibus Doctorum, Patrum sententias tenens, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Cumque pro nullo offerri possint preces, & hostiæ, nisi sit de Ecclesia; sequitur eos ad Ecclesiam pertinere. Accedit Sanctorum Patrum sententia: idem enim tenent Ambrosius orat. de obitu Valentiniani num. 51. & sequent. Augustinus lib. 4. contra Donatistas num. 30. & 31. tom. 9. col. 94. & 95. Quos sequutus est Bernardus epist. seu tract. ad Hugonem de S. Victore, dicens: „ Ab his duabus „ columnis (Augustino scilicet, & Ambrosio), crede „ mihi, difficile avellor; cum his, inquam, me erra- „ re, aut sapere fateor.

16. Nec obstat Concilium Bracarense II. anni 563. (a) in quo postquam canone 16. statutum est, nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro illis, qui sibimetipsis necem inferunt, can. 17. ita habetur: *Item placuit, ut Catechumenis sine redemptione baptismatis defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium.* Non, inquam, obstat; quia Canon ille loquitur de Catechumenis, qui culpa, & negligentia sua, sine baptismo decedunt; vel dici potest cum Eminentissimo Orsi tom. 19. histor. Ecclesiasticæ lib. 42. num. 62. contrarium usum in Ecclesia prævaluisse. Unde Augustinus tract. 11. in Joannem ait: „ Quod signum crucis habent Catechu- „ meni, jam de domo magna sunt, sed fiant ex servis „ filii, neque enim nihil sunt, qui ad magnam do- „ mum pertinent.“ Hæc ille apud Selvagijs tom. 1. pag. 90. antiquitat. Ecclesiast. Videatur etiam Perri-mezzius part. 6. dissert. 338. pag. 331.

17. Alia conclusio: *Etsi Catechismus cum Au-  
Tom. I. Rr*

(a) Vide Theophil. Raynaud. tom. 15. heteroclet. 1. sect. 3. q. 3. num. 22. pag. 455.

gustino dicat §. 3. hujus cap. Judaico populo impositum esse Synagoga nomen, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena, & caduca tantum bona spectabat; non ita intelligendum est, ut bona caelestia penitus ignoraret. Hæc conclusio est magni momenti, tum quia opposito abutuntur Materialistæ, Atheistæ, Deistæ, alique increduli, sola terrena sectantes, quin spiritualium fidem habeant, quorum aliqui etiam inde probare intendunt, legem Mosaicam esse Deo indignam, cum non nisi temporalia bona promitteret, nulla mentione facta de immortalitate animæ, nec de præmiis ac suppliciis alterius vitæ, ut pestilentissimus Auctor Dictionarii Philosophici; tum quia prima fronte videtur opposita Catechismo, Augustino, Hieronymo, Bernardo, Thomæ, & aliis plurimis, vocantibus Judæorum promissiones mere terrenas, ac vile præmium; quod intelligi debet juxta litteram, & corticem legis Judæicæ, non ad excludenda bona æterna, quorum fide semper imbutus fuit populus Dei. Videantur Suarez lib. 9. de legibus cap. 6. n. 18. & sequent. pag. 637. Thomassinus tom. 3. Theolog. dogmat. tract. 5. cap. 4. & sequentibus a pag. 719. Duguet in exposit. Psal. 6. Mezengui in opere, Gallico idiomate, *Abrege de l'Histoire de l'Ancien Testament*, liv. 7. chap. 1. in fine. Ludovicus Bailly tract. de vera Religione tom. 1. part. 2. cap. 9. prop. 7. in solut. ad arg. 12. à pag. 502. Castus Innocentius Ansaldo, Ord. Præd. lib. de Futuro sæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito. Joan. Vincentius Patuzzi lib. de Sede inferni part. 2. cap. 2. pag. 138. Edit. Bassani 1782. & in opere *de futuro impiorum statu*, lib. 1. cap. 6. pag. 33. & sequentibus. Antonius Valsecchi de fundamentis Religionis, & de fontibus impietatis, lib. 2. cap. 11. num. 5. & sequentibus pag. 197. atque Roselli tom. 5. Philosophia quæst. 16. art. 3. pag. 354. num. 790.

PRÆ-

## PRÆLECTIO XXIII.

*De Sanctorum Communione,*

ad expositionem cap. 10. primæ partis Catechismi Concilii Trident. à §. 23. ad ultimum.

1 Oceanum gratiarum, mare magnum, ac spatiosum charismatum, non abs re, dici potest Ecclesia. In ea enim tanquam pisces in aqua nascimur, ut ait Tertullianus (a); ex ea proveniunt fluentia virtutum, ac bonorum operum, quibus fidelium corda rigantur; ab ea denique totus orbis catholicos fecundatur, floret, atque fructificat, saluberrimis undis manantibus ex fontibus Salvatoris (b), meritis inquam Christi, atque justorum, quæ cunctis cum Dei servis, velut mysticis arboribus, communicantur. En Sanctorum Communionem ab Apostolis traditam nono articulo Symboli, Cujus dilucidam explicationem exhibet Catechismus Concilii Tridentini 1. part. cap. 10. à §. 23. usque ad ultimum. Quos, numeros quinque, hodierno sole discutiam, in nomine Patris, &c.

2 In adjutorio Altissimi, in protectione Sanctorum, ac in benignitate vestra confisus (carissimi Consessores) præsentem orationem incipiam, quam pro majori luce in tres partes distribuam. Prius enim textus synopsim adducam; deinde ipsam textus litteram fusius enucleabo; tandem conclusionem proponam, probabo, tuebor. Utinam omnia, & meis votis, & vestrae expectationi respondeant!

Rr 2

Pri-

(a) Tertul. lib. de Baptismo cap. 1. (b) Isaiaz 12. v. 3.

3 Primam igitur orationis partem exordians, en initium litteræ textus §. 23. *Sanctorum Communionem, &c.* Ecce vero finem §. ultimo: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* His quinque paragraphis agit Catechismus de secunda parte noni articuli Symboli, seu de Communione Sanctorum. Cujus fidei necessitatem, ac utilitatem proponit, admonendo Ecclesiæ Præsides, ut Pauli, aliorumque Apostolorum exemplo, omnem adhibeant diligentiam in hujus veritatis explanatione, quæ est uberior explicatio prioris partis articuli, Ecclesiæ nempe Catholicæ. Unitas enim Spiritus à quo illa regitur, efficit, ut quidquid in ea largitur commune sit omnibus. Communia quippe sunt Sacramenta, merita, & bona opera à singulis fidelibus in caritate facta; quia caritas, teste Apostolo, non quærit, quæ suæ sunt. Quod optime confirmat Ambrosius aptissimo exemplo humani corporis, ejus membra se mutuo juvant, atque tœnentur. Quam similitudinem jam adâuxerat idem Apostolus. Verum, sicuti membra arida, vel à corpore separata, ejus bona deperdunt, sic peccatores veluti membra mortua, licet adhuc Ecclesiæ corpori juncta, & multo magis hæretici, schismatici, & excommunicati, tanquam membra abscissa, Sanctorum Communionem privantur. Primi quidem quantum ad viriditatem gratiæ, & meritum bonorum operum, non vero quantum ad omnia, cum non desinant esse membra Ecclesiæ, sicque aliquos ab ea influxus accipiunt. Ultimi vero à gremio Ecclesiæ omnino arcentur. Docet denique Catechismus, nedum communia esse fidelibus bona illa, quibus Deo junguntur, sed & alia plura, quæ ad Ecclesiæ utilitatem deserviunt, ut sunt gratiæ gratis datæ, peccatoribus etiam aliquando concessæ. Hæc est in summa littera textus, & prima orationis pars.

4 Ad secundam ergo ingrediamur, ubi elucidanda est littera delibata. Catechismus itaque, postquam in

su-

superioribus paragraphis hujus decimi capituli abunde egit de Ecclesia Catholica, nunc à §. 23. usque ad ultimum agit de Communionem Sanctorum, quæ est velut appendix Ecclesiæ. Quinque autem modis accipitur Sanctorum Communio. Primo pro societate illa omnium membrorum Ecclesiæ, sive in terris adhuc luctantium, sive in purgatorio patientium, sive in Cœlo regnantium, tum inter se, tum cum Christo ipsius Ecclesiæ capite. Secundo pro Communionem Sacramentorum, quibus veluti sacris vinculis fideles cum Christo, ac invicem connectuntur. Tertio pro Communionem omnium donorum, sive reddant homines justos, ut gratia sanctificans, & virtutes ipsi annexæ; sive quæ aliquando etiam impiis tribuuntur ad Ecclesiæ commodum, & vocantur gratiæ gratis datæ, quales sunt scientia, prophetia, donum linguarum, miraculorum, & alia hujus generis. Quarto pro constanti professione ejusdem fidei, religionis, ac pietatis, in qua defuncti sunt sancti, qui nos præcesserunt; ad quam fidem hortatur Apostolus Hebræorum 13. v. 7. dicens: *Memento Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitami fidem.* Hoc sensu in Canone Missæ Sacramentodotes, suo, populique catholici nomine, recitant orationem incipientem *Communicantes.* Quinto denique sumitur Sanctorum Communio pro sacro commercio suffragiorum, bonorum operum, & meritum inter omnia Ecclesiæ membra per unum spiritum vinculo caritatis colligata.

5 Hanc fidei veritatem tanquam objectum, & finem respiciunt cætera nostræ Religionis mysteria. Nam Apostolus prædilectus, & sublimior Evangelistarum Joannes, rationem afferens institutionis discipulorum, sic eos alloquitur epist. 1. cap. 1. v. 3. *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.* Quare me-



merito exoptat Catechismus in textu, Ecclesiarum Præsides, Pauli, aliorumque Apostolorum diligentiam imitari in explicatione hujus articuli de Communionem Sanctorum, ut in hanc tam amplam, & beatam societatem admittamur, admissisque constantissime perseveremus, cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine. Credendum igitur est dari Communionem Sanctorum, hoc est Sanctos, & Justos Ecclesie, tam militantes in terra, quam satisficientes in Purgatorio, quam gaudentes in Cælo, se mutuò amore fovere, & quantum quisque possit, aliis subvenire. Uno verbo: eos ad invicem ea omnia agere, quæ in republica bene ordinata, in familia bene constituta, in corpore bene valente cernimus; his enim rebus non semel comparatur Ecclesia.

6 Explicatur hæc veritas variis Scripturæ exemplis, ac testimoniis Patrum. Jobi i. v. 4. de septem ejus filiis dicitur: *Ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo; & mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent, & biberent cum eis.* Super quem locum ait Origenes, seu Joann. Hierosolymitanus, ut vult doctissimus Carmelita Wastellus (a): *Septem fuerunt numero fratres, & unam habuerunt animam; septem fuerunt persona, & unum erat eis cor, nec quidquam suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia, & substantie, & divitie.* Similiter in Actibus Apostolorum legitur, primos Christi fideles nihil proprium habuisse, sed bona omnia temporalia, quæ possidebant, in commune depositum tradidisse Apostolis, postea singulis distribuenda, prout necessitas exigebat. Hoc igitur quod tunc in rebus corporeis accidebat, sublimiori modo accidit in bonis spi-

(a) Petrus Wastell lib. 2. Vindic. operum Joann. Hierosolymit. sect. 8. n. 1. pag. 473.

ritualibus cunctorum Christi fidelium, in quibus nihil ita proprium es unius, ut aliis non conveniat. Duplex autem considerari potest Sanctorum Communio. Prima est de rebus Sanctis à Christo pro omnibus in Ecclesia institutis. Secunda de bonis operibus à singulis, Dei gratia acquisitis.

7 Communio Sanctorum primo modo tradita, non inepte diceretur Sanctorum Communio generalis, quæ omnes communicamus in sanguine Redemptoris, in donis gratiæ quibus sanctificamur, in Sacramentis fidei, in verbo Dei, in promissis Evangelii; & bona ista cunctis, etiam peccatoribus, sunt communia. Quia omnes vocati sunt ad eandem fidem in eadem spe vocationis, ad eandem gratiæ charismata, ad eandem sacramenta, maxime ad baptismum, & Eucharistiam. Ideoque merito Catechismus, Patrum vestigia sequens, de illis specialem mentionem facit in textu, ad explicandam Communionem Sanctorum. Sicut enim janua communis est omnibus qui in domo sunt, & panis nullis domesticis denegatur; sic baptismus qui est Ecclesie janua, & Eucharistia, quæ cibus est filiorum Dei, omnibus fidelibus communis est; ut omittam alia plurima, quorum singuli habent partem. Quemadmodum ergo illi qui ejusdem sunt civitatis, communicationem habent in iisdem privilegiis, in sylvis, pascuis, fluminibus, fontibus, foro, plateis, & hujusmodi aliis, ob colligationem quamdam in eadem societate politica; ita & Ecclesia, civitas Dei, omnes suos cives participes facit bonorum spiritualium, quæ Christus in ea posuit, tanquam Jerusalem, quæ edificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

8 Præter hanc generalem Sanctorum Communionem est alia specialis, justis solum conveniens, & in gratia existentibus. Caritas enim, quæ, teste Apostolo, non quarit quæ sua sunt, efficit, ut quæcumque pie, sancteque ab uno geruntur, ad omnes pertineant, il-

lisque prosint. Quoniam Sancti Dei homines ubicumque existant nedum sunt tanquam cives ejusdem urbis, & domestici ejusdem familiae; sed etiam juxta Joannem, & Paulum, veluti palmites ejusdem vitis, & membra ejusdem corporis. Quo exemplo apposite utitur Divus Ambrosius super illud Psalmi 118. v. 63: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Ubi S. Doctor hæc sapientissime addit: „Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum. Quare Christus eam nobis orandi formam præscripsit, ut diceremus: panem nostrum, non meum, & reliqua ejus generis, non nobis tantum, sed omnium salutis, & commodis prospicientes.“ Hæc igitur bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptissima similitudine in sacris litteris sæpe demonstratur, ut videre est ad Romanos 12. v. 4. & 5. 1. ad Corinth. 12. v. 12. & 13. ad Ephes. 4. v. 16. & alibi.

9 Unde, quemadmodum pedes dum ambulant pro toto corpore ambulant, manus dum operantur, aures dum audiunt, oculi dum vident, &c. propter unionem quam habent ad invicem, & unitatem spiritus, quo animantur, aliter nihil valerent, ut post D. Augustinum sermone 267. alias de tempore 186. acute observavit Chrysologus sermone 132. dicens: *Est membrorum commercio salutaris pretiosus oculus, debent illi membra omnia suæ lucis obsequium, sed evulsus à corpore nec sibi videt:* Ita etiam Ecclesiae membra fideles, etsi diversis ministeriis, ac functionibus destinata, in commune bonum operantur. Hinc teste D. Ambrosio lib. 1. offic. cap. 29. ac etiam experientia teste, dum fideles orant, pro omnibus orant, dum laborant, pro omnibus laborant, dum patiuntur, pro omnibus patiuntur; ideoque dicebat Apostolus 1. ad Corinth. 12. v. 21.: *Non potest caput dicere pedibus: non estis mihi necessarii.* Et 2. ad Corinth. 11. v. 29.: *Quis infirmatur, &*

geo

*ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non iror?* Quæ verba pro themate sumsit Venerabilis Ludovicus Granatensis oratione illa, quam morti proximus edidit, qua tanquam Cygnus, ut vulgo dicitur, suaviter cecidit, & simul amare flevit lapsum cujusdam sanctimonialis. Ad quod videri potest eloquentissimus Muñozius in vita illius lib. 2. cap. 13. Sicut itaque dum aliquod membrum dolet totum corpus affligitur, ita dum aliquis fidelium labitur, tota Ecclesia lugeat: vix igitur illis, qui peccata populi Dei non plangunt, sed exultant in rebus pessimis. Est ergo inter justos, & Deo caros, tanquam viva Ecclesiae membra, intima bonorum operum communicatio.

10 Peccatores vero, utpote membra mortua, arida, exsiccata, cum vita gratiæ, & caritate careant, fructum bonorum operum, qui ad justos, & pios homines provenit, non percipiunt. Quia tamen non desinunt esse membra Ecclesiae, ut supra docuit Catechismus §. 7. & 8. & modo repetit §. 26: ideo aliquos influxus percipiunt, & ad amissam gratiam, vitamque recuperandam ab aliis adjuvantur. Meritis enim justorum Deus sæpissime impios convertere solet. Propterea jugiter orat Ecclesia, orat Sacerdos adhibendo, ad impetrandam à Deo peccatorum conversionem. Sic orabat Stephanus, & aliquando conversus est Saulus; sic orabat Monica, & aliquando conversus est Augustinus; sic orabat Dominicus, Franciscus, alique servi Dei, & innumeros peccatores ad veram penitentiam adduxerunt. Unde Div. Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 17. ait: *Per orationes Sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tanquam per columbe creberrimum gemitum, peccata solvi.* Idem docet Div. Ambrosius lib. 5. in cap. 5. Lucæ his verbis: *Si gratium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatorem, adhibe Ecclesiam, &c.*

Tom. I.

Ss

Ju-

11. Juvant etiam orationes justorum, ipsorumque mera presentia, ad liberandos malos à pluribus calamitatibus, & infortuniis. Nam Deus olim, Genesis 18, vers. 32. promisit liberare Sodomam ab incendio, si decem tantum justi fuissent inventi. Et Jeremia 5, vers. 1. promisit ipse Deus se propitium fore Jerusalem, dummodo unus aliquis vir justus in ea reperiretur. Actorum quoque 27. à vers. 22. legitur intercessione Pauli ducentos septuaginta sex fuisse à naufragio liberatos. Quod vero non justorum tantum qui in hoc mundo vivunt, sed eorum etiam maxime, qui ad vitam migrarunt feliciorum, nobis orationes patrocinentur, & merita suffragentur, significavit Dominus Isaia 37. vers. 35. dicens: *Protegam civitatem istam propter me, & propter David servum meum.* Quibus verbis, inquit Hieronymus in hunc locum, *Rex Ezechias admonetur, quod in tantum justitiam diligit Deus, ut etiam posteros Sanctorum hominum, non suo merito, sed majorum virtute, tueatur.* Et in Ezechielem 13.: *Ira Dei precibus Sanctorum frangitur.* Quocirca Div. August. quæst. 149. in Exodum, explicans hæc verba Domini ad Moysen: *Sine me, & iratus conteram eos,* ait, sic loquutum esse Deum, „ ut eo modo admoneremur, cum „ merita nostra nos gravant ne diligamur à Deo, rele- „ vari nos apud eum illorum meritis posse, quos di- „ ligit. Nam cum ab Omnipotente dicitur homini: *Sine „ me, & conteram eos;* quid aliud dicitur, quam con- „ tererem eos, nisi diligerentur abs te? „ Et lib. 20. contra Faustum cap. 21.: „ Populus Christianus me- „ morias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & „ ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum con- „ societur, atque orationibus adjuvetur. „ Quemad- „ modum ipsi orant in Coelis pro universis, in Ecclesia militantibus, ut Sanct. Fructuosus respondit (a).

Re-

(a) Vid. Brev. Roman. die 21. Januarii, in Sanctis Hispan.

12. Rectissime igitur se commendant fideles sancto- rum orationibus, nedum in mundo viventium, sed multo magis in Coelo regnantium, ut statuit sexta Synodus Generalis can. 7. & Tridentina initio sess. 23. Nam, ut ait Div. Bernardus serm. 2. de Sancto Victore: *Quilibet sanctus in terris visus est ut esset exemplo, in Coelum levatus est, ut sit patrocinio; hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam, factus est mediator qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum (a).* Non tamen oratur pro Sanctis in superna felicitate de- gentibus; quoniam, ut fert vulgaris paræmia ex Div. August. desumpta tract. 84. in Joan. & habetur in jure canonico cap. *Cum Marthæ* §. 3. de celebrat. Miss. *In- juriam facit Martyri, qui orat pro Martyre;* idemque de aliis sanctis; quia orationibus nostris non indigent, cum sint perfecte beati. E contrario autem res agitur cum animabus Purgatorii; ipsas enim non exoramus ut nobis opitulentur, quia non sunt in statu merendi, nec pro se, nec pro aliis, ut communior sententia tenet cum Div. Thoma, & observat Ecclesia, quæ nunquam ad eas recurrit suis orationibus, sed pro eis fundit ad Deum preces, ut liberentur, vel saltem mitigentur earum poenæ (b), quas quidem omnibus hujus mundi graviore esse docent Div. Bonavent. in 4. dist. 20. art. 1. q. 2. & alii ibid. & dist. 21. ac 45. aliisque in locis. Quod etiam ita credunt fideles, qui propterea suis suffragiis, precibus, bonisque operibus divinam clementiam implorare non cessant (c).

Ss 2

(a) Vid. Breviar. in Sanctis Hispania. die 4. Febr. octava Sancti Juliani. & Selvag. tom. 2. lib. 2. part. 2. cap. 10. §. 1. (b) Fatetur tamen probabilem esse opinionem dicentium animas in Purgatorio patientes etiam Deum orare pro vitioribus, maxime sibi devotis. Ita tenent Gotti tom. 3. trac. 14. quæst. 4. dub. 2. §. 3. num. 29. Liberius à Jesu Carmelita tom. 1. controversia 23. Col. 422. & alii antiquiores apud Antonium Castel in 4. dist. 45. quæst. 4. (c) Vid. Theophil. Raynaudus tom. 15. Heteroclit. Spirit. part. 2. sect. 1. punct. 6. pag. 337.

13 In quo quidem maxime percipitur sanctorum communio, & fraterna Christianorum caritas, quæ fidem auget, spem erigit, & virtutes omnes in motu ponit ad sublevandas animas defunctorum. Horum uno ducti intuitu plures pii Catholici, omnibus suis spiritalibus bonis libenter cedunt in suffragium animarum, quin inde timeant sibi aliquando defutura. Credunt etenim, nec vana fides, sic magis augeri eorum merita, ponendo sortes suas in manu Domini tam misericordis erga misericordes. Id bene noverant magna Gertrudis, Liduvina, Catharina Senensis, Seraphica Virgo Teresia, aliaque sponsæ Christi coelitus illustratæ. Similiter plures doctissimi, ac venerabiles viri, ut Ximenius, Palafoxius, Benedictus XIII. Pontifex Maximus, qui ex Thesaurò Ecclesiæ varias, & utilissimas gratias elargitur offerentibus sua opera in favorem animarum. Ad cujus uberiorem notitiam videri possunt Jacobus Baronus Ord. Præd. tom. 2. remedii universalis lib. 3. cap. 29. §. 8. pag. 265. hispano sermone, & Gaspar Ovidenus Clericus Regularis Sancti Cajetani, in dialogis Purgatorii, eodem idiomate Compluti editis, anno 1732. Ex quibus, & aliunde, multa alia addere possem ad rem qua de agimus apprime conducentia, sed ne nimius sim, in vitus silentio prætermitto.

14 Unum tamen adducere placet, quod in laudem nostri Regni, & nationis maxime cedit, Balearicos scilicet, Valentinos, Barcinonenses, & totam Aragoniæ gentem, tanto semper religionis fervore arsisse, ac desiderio subveniendi affectis Purgatorii animabus, ut in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, ab immemorabili tempore quilibet Sacerdos regula solutus duas missas, & tres regularis offerret, quemadmodum in die Nativitatis Domini. Quam laudabilem consuetudinem extendere cupientes Catholici Reges in totam Hispaniam, & Fidelissimi Lusitaniæ in suam di-

tionem, non semel efflagitarunt Romani Pontificis gratiam, nec destiterunt, donec audita fuerint eorum preces, quibus tandem benigne annuit sapientissimus Papa Benedictus XIV. qui post maturum examen, decretum edidit die 21. Augusti anno 1748. in favorem Catholici Regis Ferdinandi Sexti, & Fidelissimi Lusitanæ Principis Joannis Quinti; eis concedens, ut Sacerdotes omnes, etiam regulares in iis regnis degentes, tres possent celebrare Missas in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, juxta formam, & modum ab eodem summo Pontifice prudentissime ordinatum (a).

15 Non ignoramus hæreticos nostri temporis risu accipere piæ istas devotiones. Reformatores etenim Lutherani, & Calvinistæ, quibus non est fides, qui spem non habent, qui caritatem non agnoscunt, qui omnibus denique virtutibus valedicunt; quasi parum egerint in decurtandis sacramentis, destruendis altaribus, comburendis sanctorum iconibus, solo æquandis templis, & omnibus Catholicæ Religionis monumentis susque deque vertendis (b); non pepercerunt ipsis animabus Purgatorii. Lutherus à principio enervavit virtutem indulgentiarum, postea penitus substulit, & ipsum purgatorium exsufflavit, ut magis arderet; nam lib. ad Valdenses de Eucharistia sic scribit, „Cum negatis purgatorium, damnatis missas, vigiliis, coenobis, monasteria, & quidquid per hanc imposturam erectum est; per omnia etiam probò.“ Nec sane mirum, quoniam ut serio inquit Cramerus, *doma Spiritus Sancti, in Lutero incrementa de die in diem sumserat*. Similiter Calvinus lib. 3. instit. cap. 5. §. 6. hæc luculenter, ac lutulenter evomit: „Clamandum ergo, non modo voceis, sed gutturis, ac laterum contentione, Purgatorium

(a) Vid. Bullarium Benedicti XIV. tom. 2. p. 228. edit. Venetæ anni 1748.  
(b) Vid. Cl. Bossuet tom. 3. hist. variat. lib. 10. num. 90. & affibi.

„ multis blasphemis constructum esse, textitale Satanæ  
 „ esse commentum, quod Christi crucem evacuat,  
 „ quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam  
 „ irrogat, quod fidem nostram labefacit, & evertit.“  
 Et §. 10. sic inverecundus, & audacius addit: „ Ante  
 „ mille, & trecentos annos usu receptum fuit, ut preca-  
 „ tiones fierent pro defunctis, sed omnes fateor in erro-  
 „ rem arrepti fuerunt.“ Verum, quidquid blasphemant  
 impii novatores, nos fide divina credimus esse Purga-  
 torium, & animas ibi detentas vivorum suffragiis ad-  
 juvari. Docet id apertissime liber secundus Machabæo-  
 rum cap. 12. vers. ultimo, ubi dicitur: *Sancta ergo,  
 & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à  
 peccatis solvantur.* Nec valet si dicatur, hunc librum  
 non esse canonicum; contrarium enim multis ostendit  
 doctissimus Canus lib. 2. de locis cap. 9. Docent idem,  
 quod supra, plura alia sacræ pagine testimonia, quæ  
 ne nimis diffundar omitto. Docet perennis traditio; do-  
 cet denique Ecclesia universalis.  
 16. Unde merito ait August. lib. de cura pro mortuis  
 habenda cap. 11. *Etsi id nunquam in scripturis vete-  
 ribus omnino legeretur, tamen sufficere debet universæ  
 Ecclesie in hac consuetudine clara auctoritas.* Et de ver-  
 bis Apostoli cap. 12. *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, &  
 Sacrificio salutari, elemosynis, quæ pro eorum spiritibus  
 erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut  
 cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum pec-  
 cata meruerunt; hoc enim à Patribus traditum universa  
 observat Ecclesia.* Tempus sane deficeret, si ad hujus  
 veritatis probationem plura alia testimonia præmerem,  
 quæ facile videri possunt apud Castrum, Bellarminum,  
 Gravinam, Gottium, & alios Theologos bene multos, &  
 graves; ideoque ab illis adducendis abstineo. Sileat ergo  
 Calvinus, qui negando Purgatorium, aliasque fidei ver-  
 itates id solum est, assequutus, ut ad illum locum non  
 descenderit, sed ad alium inferiorem, ubi sempiternus hor-

horror inhabitat: ubi fletus, & stridor dentium non  
 finitur, ubi denique nulla redemptio expectatur; sicque  
 liberatio animæ Trajani precibus Divi Gregorii, & alia  
 hujusmodi, tamquam fabulosæ rejiciuntur (a).

17. Nedom autem Sanctorum Communione privan-  
 tur in inferno damnati, sed quicumque extra Chri-  
 sti Ecclesiam vivunt, pagani, judæi, hæretici, schi-  
 smatici, & juste excommunicati, de quibus supra jam  
 egit Catechismus §. 9. Hi enim omnes destituuntur suf-  
 fragiis communibus Ecclesiæ, id est, orationibus com-  
 munitibus, indulgentiis, sacrificiis, &c. ut docet hic  
 Catechismus §. 26. in fine, & nos statim, Deo dante,  
 de excommunicatis probabimus tertiam parte. Pro coroni-  
 de explicationis litteræ textus dicimus cum Catechismo  
 §. ultimo hujus capituli, gratias gratis datas, ut sunt  
*scientia, prophetia, donum linguarum, curatio, mira-  
 culorum,* & cætera hujus generis, concedi hominibus  
 etiam malis, non privatæ, sed publicæ Ecclesiæ utili-  
 tati, ut constat de Balahamo, Caïpha, Sibyllis, (si  
 forte Divino Numine vaticinata sunt, de quo non mo-  
 dica lis est inter criticos) & similibus. Quia, ut cum  
 Div. Thoma docet Eminentissimus Lambertini lib. 3.  
 de Canonizat. SS. cap. 42. gratiæ gratis datæ dantur ad  
 utilitatem aliorum; sed gratia gratum faciens, datur ad  
 utilitatem propriam. Quid autem dicemus de gratia cu-  
 rationis veneni quam ferunt habere natos in die con-  
 versionis Sancti Pauli, quos vulgus vocat *Salvadores?*  
 Respondetur, etsi Alapide, alique sentiant, illos me-  
 ritis Apostoli tali virtute pollere; oppositum nos pro-  
 babilis judicare ob rationes doctissimi Fejoonii tom.  
 3. *Theatri Critici disc. 1.* & idem de *gratia curationis  
 strumarum,* quæ tribuitur Regibus Galliæ; licet eam  
 fortasse quondam habuerint, ut quidam narrat hi-  
 storici, quos citant Cl. Pontas in Dictionario tom. 3.

ver-

(a) Vid. supra Prælect. 16. in fine pag. 232. ubi plures citantur Auctores.

verbo *Sirama*, casu 2. & doctissimus Lambertini lib. 4. de canonizat. SS. part. 1. cap. 3. num. 21. At de his, & secunda orationis parte jam satis.

18 Ad tertiam igitur devenimus, in qua probanda est hæc conclusio: *Excommunicati, quamvis tollerati, privantur suffragiis communibus Ecclesie, id est orationibus communibus, indulgentiis, & sacrificiis.* Non loquimur de orationibus singularibus, & privatis, quæ applicari possunt etiam excommunicatis vitandis, hæreticis, & aliis infidelibus; quia hoc non est communicare cum illis, sed eis spiritualem misericordiam largiri, quod licitum esse docent Sotus & alii cum Div. Thoma in 4. dist. 16. art. 1. Conclusio colligitur ex Div. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. q. 1. ad secundum dicente; suffragia Ecclesie eis non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesie oratio pro eis inter membra Ecclesie fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere. Idem evincit ratio à Catechismo adducta; nam qui ab Ecclesia sunt præcissi, omnino privantur fructibus communionis Sanctorum; atqui tales sunt excommunicati, quamvis tollerati: unde inter eos, & vitandos nullam posuit differentiam Catechismus §. 9. illos assignans, qui ad Ecclesie communionem non pertinent, donec respiscant. Aliæ rationes videri possunt apud Thomam Magdalena tom. 1. *Iyrocini moralis* q. 2. *de censuris in particulari* art. 3. num. 78. pag. 59. & apud alios.

## PRÆLECTIO XXIV.

*De Remissione peccatorum,*

ad expositionem cap. 11. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 1. ad quartum.

1 Infelicissimi quidem essemus, carissimi auditores, si post commissa peccata non esset nobis veniæ locus. At clementissimus Dominus, qui dives est in misericordia, miseretur; qui fragilitatem nostram agnoscit, ignoscit; qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, vivificat. Quare merito Ecclesia divinitus illustrata nos credere jubet remissionem peccatorum, tanquam dogma fidei ab Apostolis traditum decimo articulo Symboli. De quo mirum, in modum, pro more agit Catechismus Concilii Tridentini, prima parte cap. 11., cujus quatuor priores paragraphos, hesterno sole sortitos, hodierna luce discutiam, non quidem meis viribus fretus, quas nullas esse non dubito, sed divina ope confisus, quam absque hæsitacione præstolor, in nomine Patris, &c.

2 Superis adjuvantibus, vobisque benigna aure faventibus, præfatam Catechismi litteram pro viribus extricabo, oratione in tres partes disposita. In prima enim parte textum in epitomen contraham. In secunda ipsum fuse dilucidabo. In tertia demum, si tempus nondum effluxerit, propositionem ex ipso textu deductam auctoritatibus fulciam, rationibus confirmabo, & ab oppositis argumentis defendam. Utinam feliciter!

3 Primam itaque partem exordians, dico sic incipe-